

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

De

PRÆSTATIONE
EVICTIIONIS,

Quam

SUB PRÆSIDIO DIVINI NUMINIS

Authoritate & Consensu

Magnificæ, Amplissima & Consultissima

FACULTATIS JURIDICÆ,

In Inclÿta & Celeberrima Academia
Duisburgensi,

Pro

Summis in Utroque Jure Honoribus & Privilegiis
Doctoralibus ritè consequendis,

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit

BARTHOLDUS HENRICUS WILLMANS,

Bilefeldiâ - Westphalus,

*In Auditorio majori, die Augusti,
horis consuetis.*



DUISBURGI ad RHENUM,

Apud FRANCONEM SAS, Academiæ Typographum,
Anno M. DC. XCIII.

6
*Amicissimo
gnato, Dr. Ma
thia Hobbs
LL-C. men
mittit*

*A. A. Page
Stelha*

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

De

PRÆSTATIONE
EVICTIOMIS,

Quæ

SUB PRÆSIDIO DIVINI NUMINIS

Auctoritate & Consensu

Magistræ, Amplissimi & Consilissimi

FACULTATIS JURIDICÆ,

In Urbis & Castellanae Academiae

Duisburgensi,

Pro

Summis in Urroque Jure Honoribus & Privilegiis

Doctoribus nec condecoratis,

Tabulae Eruditionis dignissimi spectantibus

BARTHOLOMÆO HENRICUS WILLMANS,

Bilefeldii - Westphaliae,

In Auditorio majori, die

hujus mensis.

DUISBURGI & RHEINI.

Apud FRANCONIUM 243, Academiae Typographus
Anno M.DC.XCIII.

Handwritten notes:
Amplissimi
Magistræ
17. C. 1. 1.
17. C. 1. 1.





Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

De

PRÆSTATIONE
EVICTIONIS.

P R Æ F A T I O.



*U*um ante aliquod temporis spatium animum inducerem, theses quasdam loco Inauguralis Dissertationis conscribendi, dubius quidem aliquandiu fui, quodnam thema potissimum in tanta prestantissimarum Juris nostri materiarum multitudine hunc in finem amplecterer, praesertim, cum inter illas deprehenderem alias, quas singularis quaedam subtilitas, alias contra, quas insignis & quidem major utilitas commendare videbatur, tandem tamen praeceteris materia Evictionis mihi arrisit, eamque ut denique certi quid concluderem, elegi, non quidem, quasi tenuitati meae tantum considerem, ut me subtilissima, ac in foro versatissima

A 2

huic

huic materia accuratè pertractanda sufficientem existima-
rem, sed solum, ut hac in parte ritibus & juribus Acade-
micis quodammodo satisfacerem, meque ad ulteriora pro-
ratione instituti mei prepararem. Ideò licet initio quidem
mihi fuerit animus, materiam hanc, qua sanè ob varias in
ea occurrentes difficultates prolixiori & operosâ deductione
digna esset, aliquantò prolixius elaborandi, postea tamen,
temporis angustia impeditus, hanc meam intentionem ha-
tenus mutavi, velleque quodammodo contraxi, & saltem
delibata & generalia quedam de Præstatione Evictionis
breviter proponere decrevi: In quibus tamen, ut aliqualis
ordo servetur, prius Evictionis Definitionem, deinceps ejus-
dem objectum, atque requisita, & tandem remedia seu a-
ctiones inde competentes paucis percurramus; Hoc autem
ut feliciter cedat, meritò ab invocatione Summi Numinis
laborem hunc incipio, ejusque divinum auxilium eum in fi-
nem submissè imploro.

C A P U T I.

T H E S. I.

ANtequam in ipsius rei tractationem descendam, vix
operæ pretium esse existimo, hîc juxta communem
non solum Philosophorum, sed etiam Juristarum, l. 1. pr.
ff. de 7. & 7. & l. 1. pr. ff. de Reb. Cred. &c., consuetudi-
nem, de origine ac significatione vocis Evictionis sollici-
tum esse; inprimis cum hac in parte nihil occurrat du-
bii. Interim tamen, ne tumultuario & confuso ordine
rem aggredi videar, brevibus saltem notare sufficiat, quod
evincere tanquam vox aliqua composita, aliud, & qui-
dem magis quid denotet, quàm simplex verbum vincere.
Vincere etenim est victoriam reportare, seu in lite vel cau-
sa ob-

sa obtinere; Ut autem res *evicta* propriè dicatur, insuper requiritur, ut victoria, seu sententia illa executioni sit data, & possessori ritè & actualiter res sit ablata. *l. 57. D. de Evict.* uti ex seqq. hoc pluribus patebit.

II.

Hinc præstare evictionem, Germ. *gewehrschaft leisten* hîc nihil aliud significat, quam resarcire læsionem, seu damnum, quod per hujusmodi actualem ablationem possessori illatum est; Struv. *Synt. Jur. Civ. Exerc. 27. th. 15.*, uti talis formula loquendi etiam in aliis juris nostri materiis non inusitata est. Sic enim in eodem sensu præstatio doli, culpæ, vel casus accipitur pro satisfactione damni per dolum vel culpam dati.

III.

Describi autem communiter à DD. solet Evictio, quod sit rei emtæ, vel alia ex justa causa acceptæ, propter alterius melius jus in re per judicem ritè facta ablatio. Dicitur a. notanter, *propter alterius melius jus in re*; Non n. solum res evicta dicitur, si ab alio ex jure dominii vindicatur, sed etiam tunc, si Publicianâ in rem actione, vel actione hypothecariâ *l. 34. §. 1. & 2. & l. 35. de Evict.*, aliâve simili vindicatur. *l. 38. §. 3. ff. de V. O.* In reliquis definitionem hanc latius explicare supersedeo, præsertim quia ejus vis & sensus ex seqq. ultro elucescet.

IV.

Fundamentum præstandæ evictionis consistit in aliqua obligatione, hæc autem descendit vel ex speciali ejusdem promissione, vel ex natura contractûs seu negotii. (1.) Promissio hæc fiebat olim mediante stipulatione, eâque, vel *Voluntariâ*, quæ etiam in triplum vel quadruplum extendi poterat per *l. 56. ff. de Evict.*, & in ea ideò certum quid determinabatur, ut eo ipso postea emtor in

casu evictionis releveretur ab onere probandi ejus, quod interest. §. ult. l. de V. O.; Vel *Necessaria*, quæ ex edicto debebat olim fieri in duplum, sc. respectu mancipiorum & rerum pretiosarum. l. 37. §. 1. D. de Evict., & hæc dupli stipulatio ita erat consuetudinis & necessitatis, ut, licet venditor eo in casu non promiserit duplum, tamen poterit peti actione emti. l. 31. §. 20. ff. de Edil. Edict. Vel, quamvis per errorem emtor simplicem fuerit stipulatus, tamen id quod duplo deerat, ex emto exigere poterat. l. 37. §. fin. ff. h. t. Hodie autem hocce duplum non amplius observatur, agiturque solum ad id, quanti verè interest; uti tradit Groenevv. de LL. Abrog. ad rubr. de Evict. Brunnem. ad l. 2. ff. de Evict.; Sic etiam moribus nostris nihil interest, an hujusmodi promissio de præstanda sc. evictione fiat per pactum, an per stipulationem, cum utriusque hodie idem & æqualis sit effectus. Sive enim hodie pactum contractui b. f., an stricti juris adjiciatur, & sive in continenti, sive ex intervallo accedat; utrobique ex eo efficax datur actio. Brunnem. ad l. 2. C. de Evict. Notandum etiam hîc, quod regulariter sufficiat, promissionem talem fieri nudâ repromissione, & absque satisfactione l. 37. pr. & l. 56. pr. ff. de Evict., exceptis tamen paucis quibusdam casibus, præsertim ex l. 24. C. de Evict., quæ lex cum sit sedes utilissimi ac in praxi notissimi alicujus remedii, non inutile erit, ea de re paucis hîc agere.

V.

Beneficium ergo d. l. 24. consistit in eo, quod emtor cui per litis motionem in limine contractûs imminet periculum evictionis, possit pretium ejusve partem, quam nondum exsolvit, retinere, & adigere venditorem, ut per fidejussores caveat de præstanda evictione, & antequam

quam hæc satisfactio præstetur, emptor non teneatur ad solutionem pretii; Uti idem traditur etiam in *l. 18. §. 1. ff. de peric. & comm. rei vend.* Brunnem. in *Comment. ad d. l. 24.* Ut ergo hoc remedium locum habeat requiritur (1.) Ut emptori controversia seu lis verè & judicialiter moveatur, nec sufficit extrajudicialis aliqua interpellatio. *Carpzov. part. 2. Const. 34. def. 32. Berlich. Lib. 1. Conclus. 24.* (2.) Ut lis moveatur in limine contractûs. Limen contractûs autem hîc durat, quam, diu pretium nondum totum est solutum; nam limen contractûs hîc opponitur ultimæ perfectioni contractûs, quæ fit solutione totius pretii. *d. l. 24. Frantzk. ad ff. de Evict. n. 713. Berl. d. conclus. 24. n. 8. & seqq.* Notandum circa hoc beneficium (1.) quod ex eo tantum oriatur exceptio, non actio; i. e. emptor potest quidem retinere pretium donec satisfactio venditor, non tamen habet actionem, quâ cogere potest venditorem ad satisfactionem. *Berl. d. concl. 24. n. 11.* (2.) Quod hæc exceptio seu retentio pretii competat emptori, licet inter emptorem & venditorem conventum sit de non præstanda evictione; cum talis conventio impediat quidem, ne emptor interesse petere possit, non tamen obstat, quo minus pretium repeti possit; Unde satisfactio adhuc intervenire debet de restituyendo pretio in casum evictionis; vid. *l. 11. §. 18. ff. de act. empt.* Heig. *P. 1. Q. 36. n. 7. Carpzov. P. 2. C. 34. def. 31.* (3.) Quod hujusmodi emptor non sit in mora medio tempore, antequam sc. venditor satisfactio; Tutius tamen agit emptor, si hoc casu pretium judicialiter deponit, hæc enim depositio, cum sit inftar solutionis, emptorem indistinctè liberat ab usuris. add. latè de hoc remedio *Berl. lib. 1. conclus. 24.*

VI.

Si autem evictionis præstatio ex natura ipsius negotii descen-

descendit, requiritur, ut huic negotio commutandi aliqua necessitas, seu talis subsit qualitas vel natura, vicijus in alterum res propria similisve transferri debebat, adeoque cum huic per traditionem rei alienæ, seu in qua alii melius jus in re competeat, non fuerit satisfactum, meritò damnum illud propterea per subsequentem aliquam evictionem obveniens non possessor, sed potius is, qui tradidit talem rem, præstare debet, sc. eatenus, ut restituat omne id, quod possessori propter evictionem abest. Conf. Richt. Dec. 96.

C A P U T II.

T H E S. I.

DE Negotiis ergo hisce generaliter notandum, quod Evictionis præstatio non solum regulariter in omnibus negotiis onerosis sed etiam quodammodo in lucrativis, locum habeat. *l. 4. l. 6. C. de Evict.* In onerosis autem cum præ cæteris emineat (I.) Emtio venditio *l. 11. §. 2. ff. de Act. Emt.*, de ea primo loco dispiciendum, imprimis, cum ferè omnes LL. in *ff. & Cod.*, in quibus de evictione agitur, ejus faciant mentionem, ita, ut videatur, propter eam evictionis præstatio à legibus unice inventa atque introducta esse, & in ea sola locum habere; Cujus rei nulla alia videtur esse ratio, quàm quod primaria sedes, ac proprium quasi domicilium evictionis sit in emtione venditione; *t. t. ff. & C. de Evict.* Cum etenim contractus hujus natura eatenus sit singularis, ut venditor non teneatur præcisè transferre dominium rei venditæ. *l. 25. §. 1. ff. de Contrah. Emt.* Sed sufficiat, & obligatione suâ satis defunctus sit venditor, si præstiterit, rem habere licere. *l. 30. §. 1. ff. de Act. Emt.*, hinc, licet
constet

constet rem alienam esse traditam, tamen ante ejusdem evictionem venditor conveniri non potest. *l. 3. C. de Evict.* Unde est, quod evictionis præstatio tanquam proprietas & ex natura ipsius contractûs emtioni inesse dicatur, quamvis ea de re inter contrahentes nihil sit actum. *l. 6. C. de Evict.* Sichard. *ad rubr. C. de Evict.*, imò, licet venditor fuerit absque dolo, & ignoraverit rem venditam fuisse alienam. *arg. l. 30. §. 1. ff. de act. emt.* Sic etiam nihil interest, an à tertio, an ab ipso venditore, si forte post traditionem dominium rei venditæ acquisivit, res evincatur. *l. 17. & 18. ff. h. t.* quo casu tamen juxta dd. LL. emtori duplex competit remedium, idque non solum si venditor ipse, sed etiam, si ejus hæres evincere conatur. *l. 73. ff. de Evict.* non obstante *l. 41. ff. de pign. act.*

II.

Ad exemplum emtionis etiam in aliis contractibus recepta est evictionis præstatio; Hinc eadem locum habet etiam (II.) in datione in solutum. *l. 4. C. de Evict. l. 24. pr. ff. de pign. act.* Conf. Caball. *Tract. de Evict. §. 4. n. 41.*, in qua propter evictionem non solum agi potest utili actione emti, quia sc. datio in solutum vicem emtionis obtinere dicitur. in *d. l. 4. C. & l. 15. ff. quib. ex caus. in poss.* Brunnem. *ad l. 4. C. de Evict. num. 4.* sed etiam agi potest ex pristina obligatione. *l. 46. pr. ff. de Solut.* vid. Burgund. *Tract. de Evict. cap. 12.* Struv. *Synt. Jur. Civ. Exercit. 27. thes. 16.*, ubi tamen insuper hoc speciale est; quod licet pars tantum rei in solutum datæ evicta sit, tamen totius rei nomine agi possit, ratio traditur in *d. l. 46. pr. & §. 1. ff. de solut.* Frantzck. *ad ff. de Evict. num. 346.*

(III.) In permutatione *l. 29. C. de Evict. l. fin. ff. Quib. ex caus. in poss. l. 1. C. de rer. permut.* Frantzck. *cit. loc. n. 348.*, nam etiam permutatio valde similis & vicina em-

B

tionem

tionem esse dicitur *l. 2. ff. de rer. perm.*, à qua tamen in eo differt, quod, licet in emtione propter traditionem rei alienæ ante ejusdem evictionem venditor conveniri nequeat, in permutationis tamen contractu, quam primum rem alienam traditam esse constat, ad interesse agi possit. *l. 5. §. 1. ff. Præscr. verb. Caball. de Evict. §. 4. n. 45.*

III.

(IV.) In hæreditatis divisione *l. 66. §. 3. ff. de Evict. l. 14. C. fam. ercisc.*, nam & hæc in *l. 20. §. 3. ff. Fam. erc.* permutationi, atque in *l. 1. C. Comm. utr. jud.* emtioni comparatur; Et quidem si divisio talis est facta ab ipsis cohæredibus, vel à judice, hæc res parum habet dubii, cum tali in casu videatur esse quædam permutatio. *l. 7. C. Comm. utr. jud. l. 14. C. Fam. Erc.* Sichard. *ad d. l. 14.* An autem idem juris sit in divisione hæreditatis factâ à testatore ipso, eâ de re Dd. inter se valde dissentiunt; Sunt enim, qui hîc præstationem evictionis locum habere asserunt, inter quos Burgund. *d. tr. cap. 14. n. 16.* Bachov. *ad Treutl. Vol. 1. Disp. 19. thes. 12. lit. D.* aliique. E contrario alii sunt, qui simpliciter negant, & inprimis Brunne-
man. *ad l. 14. C. Fam. Erc. n. 8. & seqq.* Sichard. *ad eand. l. 14. n. 4.* Caball. *de Evict. §. 4. n. 23.* Menoch. *lib. 3. Præf. 118. n. 1.* In hac dissensione Dd. tutius cum Frantzio *ad ff. h. t. n. 370.* distinguitur, an hujusmodi divisio sit facta ex singulari affectu absque animo æqualiter dividendi, an ex solo animo dividendi sine affectione; Ita, ut priori casu non videatur locum habere. *l. 77. §. 8. in pr. ff. de leg. 2. l. 45. §. 1. ff. de legat. 1.* posteriori autem casu admitti possit evictionis præstatio *l. 20. §. 3. l. 33. ff. Fam. Erc.*
(V.) In rerum singularium divisione. *l. 1. l. 7. C. Comm. utr. jud. l. 10. §. fin. ff. Comm. div. l. 34. §. 1. ff. de Evict.*

(VI.) In

IV.

(VI.) In transactione, si sc. res, quam aliquis transigendi causa, s. ut alter à lite desistat dedit evicta est, non verò, si id ipsum, de quo fuit transactum, ab alio est vindicatum. *l. 33. C. de Transact.* Hartm. Pistor. *Obs.* 227. n. 36. & *seqq.* Mev. *Part. 5. Dec.* 42. Frantzk. *h. t. n.* 413. & *seqq.* (VII.) In locatione conductione. *l. 9. pr. ff. locat.* Caball. *de Evict.* §. 4. n. 56., non obstante, quod Ædilitium edictum in ea non habeat locum. *l. 63. ff. de Ædilit. Edict.* (VIII.) In Emphyteusi *arg.* §. 3. *l. de Locat.* Caball. *d. l. num.* 56. *Surdus Decis.* 290. Idem quoque est in Feudo. *2. F. 8. 25. 80.* (IX.) In donatione remuneratoria, si sc. præcessit opera remunerari solita. *l. 19. §. 1. & l. 29. ff. de Donat.* i. e. talis opera, propter quam extra ordinem agi aliàs potest. *l. 1. pr. ff. de Extraord. Cogn.* Item (X.) in donatione, quæ fit ob futuram causam *arg.* *l. 1. C. de don. quæ sub. mod.*, nam hæc in effectu videtur esse species contractûs innominati, & reciproci, adeòque onerosum quoddam negotium subest. *l. 28. ff. de Donat. l. 2. C. de condict. ob caus. dat.*

V.

(XI.) In datione dotis, (1.) si promissio præcessit, *l. 1. pr. C. de jur. dot. l. 19. ff. de O. & A.* (2.) si æstimatò est data, quia tum maritus rem hujusmodi in dotem datam pro æstimatione illâ finito matrimonio restituendâ quasi emisse videtur. *d. l. 1. vers. Sin autem* Sichard. *ad l. 5. C. de Jur. Dot. n. 1.* (3.) si dolus dotem dantis intervenit. *d. l. 1. vers. dolo autem.* Gomez. *t. 2. Resolut. c. 2. num.* 37. (XII.) In legato generis. *l. 29. §. 3. ff. de Legat. 3. l. 58. ff. de Evict.* Burgund. *cap. 21. n. 6.*, quod etiam verum est in legato speciei, quam testator scivit esse alienam, hanc enim hæres redimere tenetur. *l. 10. C. de Legat.* non autem

in legato speciei, cuius dominum se credidit testator. *l. 40. ff. de Eviēt. §. 4. l. de Legat. l. 45. §. 2. ff. de leg. 1. Perez. ad Cod. de Eviēt. n. 10.* Quod si tamen hoc calu testator aduersus autorem suum pro euietione præstanda habeat actionem, hæc legatario ab hærede est cedenda. *l. 59. ff. de Eviēt.*

VI.

Non autem idem dicendum de donatione simplici, quia sc. in hac propter euietionem, cum nullum interuenit pretium, nihil abest. *l. 62. ff. de Edil. Edict.* nec donator obligatus fuit ad transferendam rem propriam, sed eum solùm habuit animum, ut res donata eo iure in donatarium transferatur, quo ipse eam habebat. *l. 45. §. 2. ff. de Leg. 1.* Adeò, ut nec hîc attendenda communis illa distinctio, an sc. donatio à traditione an à promissione inceperit, per text. in *l. 18. §. fin. ff. de donat.*, ubi generaliter dicitur, quod contra donatorem rei alienæ nulla de euietione competat actio. vid. Burg. *de Eviēt. cap. 16.* Frantzk. *ad ff. h. t. n. 423. & seqq. Trentacinq. Lib. 3. Tit. de Donat. Resol. 2.* Bach. *ad Treutl. V. 2. D. 2. thes. 5. lit. d.* Excip. (1.) nisi donans fuerit in dolo, i. e. sciens rem alienam donauerit, tunc enim ad restitutionem sumtuum in rem donatam à donatario factorum in casu euietionis tenetur *d. l. 18. §. ult. in fin.* (2.) Nisi de præstatione euietionis inter partes expressè conuentum. *l. 2. C. de Eviēt.*

VII.

Præstatur autem euietio quoad omnes res, quæ ex causis supra memoratis in alium translatae sunt, siue sint mobiles, siue immobiles; siue corporales, siue incorporales; Nec interest, an tota res evincatur, an pars ejus *l. 1. pr. & l. 45. ff. h. t.*, & quidem, si pars talis est homogenea, c. g. pars fundi, etiam ex stipulatu agi potest. *l. 64. ff. de Eviēt.*

Eviēt., quoties scil. stipulatio accessit, vel accedere debuit; aliàs tantùm actione emti. *l. 23. §. 1. ff. de Usurpat. l. 56. §. 2. ff. de Eviēt.* Quod si autem ante eviētionem jam pars esse desiit, e. g. si ædificio diruto lapides eviēti sunt, neutra actione præstatio eviētionis peti potest. *l. 36. & l. 42. ff. de Eviēt.* Sic etiam onere temporali, e. g. pignore vel usufructu rei venditæ eviēto de eviētionem agi poterit, perinde, ac si corporalis pars rei sit eviēta. *l. 49. ff. h. t. l. 66. pr. ff. de contrah. emt. l. 5. C. de Eviēt.* Onere autem perpetuo, v. g. servitutibus prædialibus, vel pensitationibus, eviēto, venditor non tenetur, nisi quanti minoris. *l. 61. ff. de Edil. Edict. l. 75. ff. de Eviēt.* Excip. (1.) si venditor scivit servitutum deberi. *l. 1. §. 1. l. 13. l. 39. ff. de Act. Emt.* tunc enim propter dolum actione emti tenetur ad interesse. Burgund. *cap. 46. n. 9. & seqq.* (2.) Si venditor aliter pactus est, e. g. si fundum optimum maximum dixit. *l. 75. ff. h. t.* Burgund. *d. l. n. 6.* Excip. (3.) Si pensitationes ejusmodi sunt usitatæ, & publicè omnibus similibus rebus inhærere solent, *l. 2. l. 3. C. sine cens. vel rel.*, quo casu venditor ne quidem quanti minoris tenetur. Caball. *de Eviēt. §. 5. n. 72.* Carpzov. *part. 2. Const. 34. def. 20.*

VIII.

Circa venditionem nominis seu actionis notandum, quod cum in ea venditor non ulterius teneatur, quàm ut veram & ad se pertinentem, i. e. talem, quæ jure competit, & exceptione perimi non potest, *l. 42. §. 1. ff. de O. & A.*, transferat actionem, *l. 4. ff. de hered. vel act. vend.* hinc de præstanda eviētionem non potest conveniri, licet debitor forte non sit solvendo, uti eleganter Ulpianus *in d. l. 4.* ait: *Si nomen distractum, Celsus lib. 9. Digestorum scribit, locupletem debitorem non præstari, debitorem autem præstari, nisi aliud convenit,* uti idem etiam traditur

B 3

in l. 74.

in l. 74. §. 3. ff. de Eviēt. Hahn. ad VVes. tit. de Eviēt. n. 10.
 & hoc ita ampliatur, ut etiam procedat, (1.) licet à ven-
 ditore eviētiō expressè promissa sit, quia sc. huic promif-
 sioni satisfactum, si secundum naturam contractūs verum
 nomen translatum est. Hartman. Pistor. Obs. 212. num. 4.
 Richt. 1. Dec. 36. n. 25. Quod enim propter inopiam de-
 bitoris debitum exigi non possit, ipsi substantiæ actionis,
 utpote quæ in jure persequendi consistit, nihil detrahit,
 sed saltem ejus persequendæ effectum, seu executionem
 impedit. (2.) Licet debitor jam tempore cessionis non
 fuerit solvendo. l. 74. §. f. ff. de Eviēt. Frantzk. ad ff. h. t.
 num. 42., quamvis dissentiat Berlich. part. 1. concl. 24. n. 52.
 Idem dicendum de vendita hæreditate, nam & hîc ven-
 ditor tantum tenetur præstare & hæreditatem esse & se
 esse hæredem, l. 7. ff. de hæred. vel act. vend., quanta au-
 tem sit hæreditas, nil interest. l. 14. §. 1. eod. hinc etiam
 venditor tantum ipsius juris hæreditarii, non autem sin-
 gularum rerum eviētionem præstat. l. 1. C. de Eviēt. l. 2.
 pr. ff. de hæred. vend. quia sc. non res singulas, sed totam
 hæreditatem vendidit; hæc autem non ipsas res, sed jus
 aliquod universale denotat, l. 119. de V. S., ac sine ullo
 corpore juris intellectum habet. l. 50. ff. de hæred. pet. l. 3.
 ff. ad L. Falcid. Burgund. de Eviēt. cap. 10. Wesenbec. ad
 ff. h. t. n. 3.

C A P U T III.

T H E S. I.

A Gunt autem propter eviētionem emtores, alique his
 similes, in quos sc. ex supra adductis causis res aliqua
 translata est, ac eorum hæredes, s. successores universa-
 les. De singulari autem successore, s. secundo emtore
 notandum,

notandum, quod hic tantum contra immediatum suum autorem agere possit, venditoris autem sui autorem non potest convenire, nisi ipsi contra eum cessã est actio. *l. 59. ff. de Eviçt.* Præstatur autem tantum eviçtio à venditoribus, s. autoribus similibus, qui ex memoratis titulis rem proprio nomine in aliquem transtulerunt. Hinc de eviçtione non tenetur creditor vendens pignora, *tot. tit. C. Eviçt. pign. non deb. l. 10. ff. de distr. pign.*, quia sc. creditor non suo nomine, sed tanquam procurator debitoris vendidit; & cum eodem modo tutores & curatores in rebus pupillaribus & minorum, nec non procuratores, intitores, aliive administratores in venditione rerum, quas administrant, non suo, sed alieno nomine versentur, patet etiam hos de eviçtione eatenus non teneri. *l. 50. ff. de Eviçt. l. 13. C. eod. l. fin. ff. Instit. act. Burgund. de Eviçt. cap. 32. Berlich. part. 1. concl. 24. num. 73. & seqq.* Idem dicendum de apparitoribus aliisque rei judicatae exequenda causa pignora distrahentibus. *l. 50. ff. de Eviçt. l. 49. ff. Fam. Ercisc.* Item marito rem dotalem vendente. *Hering. de Fidejuss. cap. 20. n. 256. & seqq.* Dux tamen potissimum limitationes circa has personas occurrunt in *l. 2. C. Cred. eviçt. pign. non deb.*, np. (1.) si in dolo fuerunt, i. e. vitium rei ideòque jus vendendi sibi non competere, sciverunt. (2.) Si eviçtionem promiserunt. *Brunnem. ad C. tit. Cred. eviçt. pign. non deb. n. 4.*

II.

Atque hæc obligatio de præstanda eviçtione etiam (1.) ad hæredes venditoris extenditur. *l. 9. l. 21. l. 24. C. de Eviçt.*, & quidem, si eorum plures adsunt, omnes quidem simul de eviçtione sunt conveniendi, ac omnibus denunciatio facienda, nec defensio pro parte admittitur. *l. 62. §. 1. ff. h. t.*, eviçtione tamen factã quilibet hæredum pro
 portione

portione hæreditaria partem tantum præstat. *l. 85. §. 5. l. 139. in fin. ff. de V. O.* (2.) Ad fidejussores à venditore respectu evictionis datos. *l. 40. ff. de Evict.* quique propterea secundi autores vocantur *in l. 4. ff. h. t.*, eorumque hæredes. *l. ult. C. de Evict.*, & hoc procedit, licet eis ab emtore non fuerit denunciatum, ut in iudicio adsistant, nam sufficit principali venditori denunciationem esse factam, per text. express. *in l. 7. C. de Evict.*, quippe in fidejussoria obligatione nihil est proprium, sed omnia dependent ex obligatione rei principalis, cujus sc. est accessoria. *§. 5. I. de Fidejuss.* vid. Donell. *ad l. 7. C. de Evict.*

C A P U T IV.

T H E S. I.

UT autem personæ in Cap. præced. enarratæ de evictione agere, vel conveniri possint, certa, & quidem sequentia observanda sunt requisita; (1.) Ut res actualiter sit evicta. *l. 3. C. de Evict. l. 4. pr. ff. de Act. emt.*, (uti hoc etiam ex ipsa originatione vocis *Evincere* patet,) hoc autem tum demum factum censetur, si sententia adversus emtorem executioni est data, *l. 57. ff. & passim de Evict.*; Hinc actio de Evictione nondum habet locum, licet forte lis jam sit mota, nec, licet sententia condemnatoria jam sit lata, eaque in rem judicatam jam transferit, sed præterea requiritur, ut res sit ablata arg. *d. l. 57. Donell. de Evict. cap. 3. pag. 219.* Pro æquipollentibus tamen quoad evictionem habentur, si emtor ad restitutionem rei condemnatus litis æstimationem præstitit, vel etiam si contra possessorem agens succubuit. *l. 16. §. 1. ff. de Evict.* Idem est, si emtor creditori, cui res fuerat oppignorata, satisfecit. *l. 22. C. de Evict.* Sic ergo in actione ven-

ne vendita non potest statim agi ad præstandam evictionem, si debitor forte negat debitum, vel etiam exceptiones opponit, sed emtori, tanquam procuratori in rem suam incumbit, rem prius deducere in iudicium, ut per sententiam definiatur, an verum adsit debitum, nec ne. Hartman. Pistor. *Obs.* 212. num. 14.

II.

(II.) Ut ablatio illa sit facta per sententiam in iudicio *l. 24. ff. l. 17. C. h. t.* Hinc cessat evictionis præstatio. (1.) Si emtor auctori ultro rem restituit. *Surd. Dec. 22. num. 2.*, nam expectanda est sententia iudicis, ut scilicet per eam de iustitia evictionis constet. (2.) Si emtor compromisit, & sic ex laudo arbitri res est ablata *l. 56. §. 1. ff. h. t.*, cum enim hic non versetur causa solius emtoris, sed etiam venditoris, hinc solus emtor in arbitrum compromittere non potest. *Burgund. de Evict. cap. 79.* (3.) Si emtor cum petitore transigit, vel simpliciter liti renunciat *arg. l. 17. C. h. t.* nam ut emtori ratione evictionis contra venditorem regressus detur, requiritur sententia judicialis. *Schneidevvin. ad §. 28. I. de Act. n. 56.* (4.) Si casu fortuito, vel per vim majorem emtori res aufertur. *l. 26. C. h. l. II. pr. ff. h. t.*

III.

(III.) Ut res sit evicta propter melius jus petitoris, & quidem ex causa tali, quæ contractum venditionis, aliumve similem, antecessit. *l. 1. C. de peric. & comm. rei vend.* Hinc agi non potest ob evictionem, quæ contingit ex culpa ipsius emtoris, sive illa in omittendo, sive committendo consistat; e. g. si, cum potuisset rem usucapere, culpâ suâ eam non usucepit, *l. 56. §. 3. ff. de Evict.* Idem est, si exceptiones sibi competentes non opposuit. *l. 54. ff. h. t. l. 19. C. eod.*, vel si emtor absente venditore con-

C

demnatus

demnatus in bona causa non appellavit. *l. 63. §. f. h. l. ii. C. de admin. tut.* Excusandus tamen videtur à necessitate appellandi, (1.) si causa venditoris notoriè est injusta. arg. *d. l. ii. C. Burgund. de Eviçt. cap. 84. n. 2.* Sichard. *ad l. 8. C. h. t. num. 21.* (2.) Si denunciavit auctori, ut ipse appellet. Pacius *de emt. vend. cap. 20. n. 260. m. 17.* Burgund. *d. l. n. 7.* (3.) Si autor ipse iudicio præsens silentio suo sententiam agnoscit. vid. Brunneman. *ad l. 63. ff. de Eviçt.* Sic etiam venditor à præstatione evictionis immunis est, si propter imprudentiam, errorem vel malitiam iudicis res evicta est. *l. 51. pr. ff. h. t. l. 8. in fin. C. cod., non enim, uti in d. l. 51. dicitur, injuria emtori illata venditorem contingere debet,* hujusmodi autem malitiam iudicis ex actis docere auctori incumbit, & sufficit, si e. g. probat justæ alicujus exceptionis ab emtore oppositæ à iudice non habitam fuisse rationem. Donell. *de Eviçt. cap. 5. p. 227.*

IV.

(IV.) Ut emtor denunciaverit venditori. *l. 53. §. 1. ff. h. l. 20. & 21. C. cod.* Denunciare autem hac in materia nihil aliud est, quàm venditorem de lite mota certiorare, ut sc. emtori in iudicio adsistat, causamque instruat, vel etiam ipse defensionem rei suscipiat. Burgund. *d. Tr. c. 57. num. 2.* & hoc veteres *laudare autorem* appellabant. Gell. *Lib. 2. Attic. noct. cap. 6.* Et hæc denunciatio ita est necessaria, ut eâ omisâ emtori propter evictionem contra venditorem non detur regressus. *vid. l. 8. C. & passim de Eviçt.* Debet autem denunciatio fieri ipsi auctori, sc. venditori, (etiam pupillo, si tutor ejus non apparet, *l. 56. §. ult. ff. de Eviçt.*) ejusve hæredibus. *l. 9. C. l. 51. §. 1. ff. h. t., & quidem, si plures sunt, omnibus l. 62. §. 1. ff. h. t.* quia sc. res non potest hîc pro parte defendi, sufficit tamen omnibus esse denunciatum, nam tum, licet quidam ho-
rum

rum non adsistant, & unus ex illis solus litem suscipiat, hic reliquis omnibus aut vincit, aut vincitur. *l. 62. §. 1. ff. b. t.* Non tamen etiam fidejussoribus denunciandum, per *l. 7. C. b. t.*, quia sc. obligatio fidejussoris dependet ab obligatione principali, adeoque sufficit, ut ipsi venditori denunciatur. *l. 8. C. b. t.* Et cum hæc denunciatio potissimum fiat eum in finem, ut venditor assistat, hinc necesse est, fiat etiam venditori præsentem in judicio, *l. 55. §. 1. ff. b. t.*, & scienti litem esse motam, *arg. d. l. 55.*, non enim tantum denunciatur, ut certioreretur venditor, sed etiam ut emtor eo ipso animum suum de capiendo regressu in casum evictionis adversus venditorem declaret ac contestetur. *arg. l. 53. §. 1. ff. b. t.* Quo tempore autem hæc denunciatio fieri debeat, de eo est textus in *l. 29. §. ult. ff. de Eviçt.*, ubi dicitur, quod quovis tempore venditori possit denunciari, modo non propè condemnationem id fiat. Nihil ergo interest, an ante, an post litem contestatam fiat, modo sc. venditori adhuc integra sit defensio. *Struv. Synt. Jur. Civil. Exerc. 27. th. 28. in fin.*

V.

Effectus autem hujus denunciationis ritè factæ à parte denunciati, s. venditoris consistit in eo, quod hic emtorem defendere, litique adsistere, & licet gaudeat foro quodam privilegiato, tamen forum emtoris, s. rei conventi, sequi teneatur; per *l. 49. ff. de Judic. Gail. lib. 1. Obs. 71. n. 2. Caball. de Eviçt. §. 3. n. 118. Sichard. ad l. 8. C. de Eviçt.* A parte autem denunciantis, quod hic postea succumbens re legitimè evictâ regressum habeat contra venditorem, hic enim, sive ad denunciationem liti assistat, sive non, tamen postea ab emtore ratione evictionis conveniri potest. *d. l. 8. & passim C. de Eviçt.* Quod si autem denunciationem hanc emtor neglexit, venditor

C 2

ad

ad præstandam eviçtionem non tenetur, *d. l. 8. C.* quia tunc per collusionem aut dolum emtoris res eviçta censetur. *l. 53. §. 1. ff. h. t.* Excip. (1.) Si venditor ultro se ad assistendum liti obtulit, tum enim denunciatio planè est supervacanea, cum venditor sponte impleat, ad quod per denunciationem invitandus erat. *Burgund. cap. 54. n. 3.* (2.) Si denunciandi necessitas à venditore remissa est. *l. 63. pr. ff. h. t.* (3.) Si causa venditoris manifestè injusta est. arg. *l. 11. §. 12. ff. de act. emt.*, & arg. *l. 53. §. 1. ff. h. t.*, vel, si id manifestè non apparet, modò probare possit, venditori nullum jus competiisse, adeòque rem rectè esse eviçtam; hoc enim casu, licet quidem de stricto jure propter omissionem denunciationis venditor non videatur obligatus ad præstandam eviçtionem, ex æquitate tamen conceditur emtori actio ex emto. *Struv. S. 7. C. Ex. 27. th. 33.* & *Dd. ibi alleg.* nam & in aliis Juris nostri materiis ex æquitate receptum, ut in manifestis apices & subtilitates juris non soleant attendi, uti hoc latè deducit *Burgund. de Eviçt. cap. 55. per tot.*

VI.

Ex his ergo modò enumeratis requisitis, si vel unicum deficit, venditor ad præstandam eviçtionem non tenetur, per *LL. in th. th. præced. alleg.* Cessat autem etiam præterea eviçtionis præstatio, (1.) Si quis sciens rem alienam, vel alii obligatam emit, quod adeò extenditur, ut is hoc casu ne quidem pretium repetere possit, nisi forte in specie de restituendo pretio sibi pacto prospexit. *l. 27. C. de Eviçt. l. 7. C. Comm. utr. jud. Struv. Exercit. 27. thes. 34. Brunnem. ad l. 27. C. h. t. n. 5.* (2.) Si expressè inter partes pactum, ne venditor de Eviçtione teneatur. *l. 11. §. 18. ff. de Act. emt. vend.* Hic tamen distinguendum, an venditor ita paciscens ignoret, an sciat rem esse alienam.

Priori

Priori casu equidem de evictione non tenetur propter pactum contrarium, interim tamen pretium restituere debet, *d. l. ii. §. 18.*, ubi Jctus hanc tradit rationem, *quod b. f. contractus non patiantur hanc conventionem, ut emtor rem amittat, & venditor pretium retineat.* add. *Ca. ball. de Eviēt. §. 2. n. 23. & §. 5. n. 25.* Posteriori autem casu non solum pretium restituit, sed etiam insuper omne interesse præstat, *d. l. ii. §. 18. in fin. verb. nisi forte sciens;* uti hoc etiam procedit, licet dixerit, se vendere saltem illud jus, quod sibi in re tali competat, & tamen sciat se nullum jus habere, per *l. ii. & 12. ff. de hered. vel act. vend.*; quia sc. est in dolo, cujus est natura, ut inde semper quis obligetur ad interesse, ita, ut ne quidem valeat conventio in contrarium. *l. 33. de R. 7. l. 27. §. 3. de pact. l. 17. pr. ff. Commod.*

C A P U T V.

T H E S. I.

TAndem remedia, quibus ad præstationem evictionis agitur, breviter percurrenda. Petitur autem illa (1.) vel actione ex stipulatu in simplum, duplum, &c. prout sc. venditor stipulanti emtori promisit *l. 37. §. 1. l. 56. ff. de Eviēt.* Effectus hujusmodi interpositæ stipulationis erat, quod, si contra eam factum esset, emtor ad quantitatem in stipulationem deductam ex stipulatu agere poterat, licet minoris ejus interesset. *l. 17. l. 37. ff. de Eviēt.* Hodie tamen, uti supra cap. i. notatum, non solum stipulatio illa necessaria dupli ab usu recessit, sed reliquarum quoque stipulationum rarus videtur esse usus, inprimis cum moribus nostris etiam nuda pacta eatenus sint ejusdem efficacitæ.

II.

(2.) Vel actione emti, eâque vel directâ *l. 60. l. 70. ff. h. vel utili, l. 4. C. h.* etiam actione præscriptis verbis *l. 7. C. Comm. utr. jud. & l. 14. C. Fam. Erc.*, vel simili, ex negotio, quod inter emtorem & venditorem intercesserat, descendente. Et quidem actio emti non solum datur ad repetendum pretium conventum, sed etiam ad præstandum interesse, i. e. resarciendum omne damnum, quod emtor sensit ex evictione. *l. 60. l. 70. ff. h. t.* Unde hac in parte notabilis est differentia inter actionem ex stipulatu, & actionem emti; Illa enim, cum sit stricti juris, datur tantum ad id, quod verbis expressum est, ac in ea inspicitur tempus contractûs. *l. 64. ff. h. t.* Hæc autem, nempe actio emti est bonæ fidei, in qua præstatur omne interesse, ac in ea inspicitur tempus evictionis. *l. 70. ff. h. t. l. 43. in fin. l. 45. pr. ff. de Act. emt.* ideoque, si evictus fundus per alluvionem crevit, vel ejus æstimatio aliunde aucta; etiam augmenti hujus evictio præstanda emtori. *l. 15. & 16. ff. h. t.* Ex eadem ratione damno emtoris è contrario est, si forte post venditionem minor seu vilior esse cœpit res evicta. *l. 70. ff. h. t. l. 45. pr. ff. de act. emt.* Burgund. *cap. 89. num. 2. & 3.* Præterea venditor tenetur ad restitutionem expensarum non solum in rem evictam factarum, quas scilicet emtor à vindicante non potuit consequi. *d. l. 45. §. 1. Garfias de Expens. cap. 7. num. 16. & cap. 18. num. 1. Frantzk. ad ff. de Evict. n. 900. & seqq.* Sed etiam expensarum in litem, *l. 17. & 18. C. h. t.* in casu scilicet, si emtor succubuit, & res evicta est. Si autem in causa obtinuit, impensas litis à venditore non potest repetere. *d. l. 18. Zoës. ad ff. de Evict. n. 27.*

III.

Ultimò de his actionibus, quatenus scilicet ad præstandam

standam evictionem tendunt, notandum, quod hæc directò, ne quidem longissimo tempore præscribi possint, per *l. 21. C. de Evict.* Per consequentiam autem iisdem rectè præscribitur. Si enim emptor per statutum tempus rem emptam legitimè possedit, venditor per consequens definit teneri de evictione. *l. 54. pr. ff. & l. 19. C. de Evict.* Wehner. *in Observat. sub voc. gewehr. circa fin.* Plura quidem materiam hanc concernentia potuissent adduci, quæ tamen, cum animus mihi non fuerit, omnia hæc ita accuratè & sollicitè perstringendi, sed saltem generalia & delibata quædam ex hac materia proponendi, brevitatis causa, & ne instituti mei metas excedam, prætereò, eaque aliis dignissimam hanc materiam prolixius & accuratius elaborare desiderantibus relinquo; Idcòque, de iis, quæ forte propter angustiam temporis à me prætermissa, vel etiam festinando minus accuratè elaborata sunt, cujusvis benevoli Lectoris æquum iudicium imploro.

COROLLARIA.

I.

Inter legatarios, qui verbis tantum sunt à testatore conjuncti, non habet locum jus accrescendi.

II.

Obligatio ex *L. 2. C. de Resc. Vend.* non est alternativa, sed tantum simplex, ideòque nec actio, nec condemnatio exinde potest institui vel fieri alternativè, sed simpliciter ad rescindendum contractum.

III.

Partus septimestris in jure nostro quidem censetur perfectus, attamen

attamen si sanus & firmus editur, est quodammodo suspectus, ideòque marito contradicenti non facile debet obtrudi.

IV.

Qui ante septimum mensem nascitur, non est partus, sed abortus, & non habetur inter liberos, neque ei succeditur, neque ipse rumpit testamentum patris, in quo est prateritus.

V.

Famosus libellus etiam est, licet nomen auctoris fuerit appositum.

VI.

Etiam sponsa & tacitam & privilegiatam habet hypothecam in bonis sponsi pro repetenda dote.

VII.

Communis illa consuetudo, quâ stuprator stupratam tenetur vel ducere, vel dotare, contra rationem juris communis introducta.

VIII.

Licet tutores teneantur ad culpam levem, heredes tamen eorum tantum ad præstandam culpam latam sunt obligati.

IX.

Differt contractus do ut des à permutatione; Hæc est bonæ fidei, ille est stricti juris.

X.

In persecutione specialis hypotheca non requiritur prius executio principalis debitoris.

XI.

Mandatarius tenetur ad culpam levissimam, licet nulla ejus adsit utilitas.

F I N I S.

W Kunst und süsse gunst / zu gleichen theil ansporen /
 Da wird der Ehrenpfad mit vollem schritt erkohren /
 Da geh't es trefflich ab: Wo ein gedoppelt strick
 Ein tugendvoller Muht / ein herger augenblick
 Das muntre Herz anzeucht. Glück zu ohn last und leyden /
 Verschwestert affect, geh' in gepahrten freuden!
 Herz **WILHELMUS** unser Freund empfängt die Doctor-
 Krohn
 Baldt auch die Doctorin zum schönen Ehren-Lohn.
 Sein unverdrofner fleiß / und blasses Bücherlesen
 Kan nun durch den geruch des Lauer-zweigs genesen;
 Baldt gönnet Dilseldts Lust die frohe wiederkehr /
 Wehr leistet uns dan da / Ey lieber! die gewher?
 Doch ist es andrer nicht / was Euch der Himmel schencket /
 Das sich der Sieger-Palm zur keuschen Lilge lencket.
 Nun knüpfet ewig woll: Dis soll mein Wünsch seyn /
 Das Glücke mische sich zur dritten Bluhme ein!

Zum billigen Ruhm der aufgelaßenen wacke-
 ren und gelehrten Schrift / mit beygehäng-
 tem auffrichtigem Glückwünsch bevorstehen-
 den Duppelten Ehren-tags schriebe dieses
 dem Herrn Autori Seinen geEhrten und
 wehrten Freund

WILHELMUS CRUSIUS,
 JC. & Prof. Ordin.

D

EDMERT.

S O N E T T.

Glück zu der neuen Jahr!
 Glück zu dem neuen Glücke /
 Das durch viel Ehren-Blicke
 Dir wachet für der Thür.

Der Tugend Lust-Begir
 Die Dich durch Annuhts-Stricke
 Ihr ganz (weg Schmincker-Stücke)
 Verbunden für und für /

Macht dir den Pindus hallen /
 Und Themis Rechts-Thron schallen /
 Du theurer WELTALD Du:
 Dir soll zur Lust und Ruh
 Den wachen Schlaf umbgürten
 Der Lorber-laub und Myrthen.

Seinem höchstgeschätzten Freunde / dem
 Herrn Candidato, setzet dis wenige zu
 mehr-verdienten Ehren

Alexander Arnold Pagenstecher
 J.C. Profess. Ordinar.

Ter

*Ter vvelverdiender Eeren van de VVelEdele, en in een gron-
dige Kennisse der Oud- en Nieuuwe Rechten door-geoeff-
fende Heer, de Heer BARTHOLD HENDRIK
VVILMANS, als, volgens de VVetten, sijn VVelEd.
naa der Beyden Rechten DOCTORAT met een vvel-
door-vvrochte en geleerde Sinne-tvvist dongh.*

JUpijn had laastmaals eens byzonder goede luimen,
Men sagh niet eene Wolk aan't held're lucht-lazuur,
De droef-benaaude Zorg most strax den Hemel ruimen,
En Ganymedes hongh de Ketel vast te vuur:
Mercur die noodte voorts Mejuffers de Godeffen
Uitlast van Jupiter op Koffi en op Thee;
Want d' overgroote Hitt' verboodt de Nectar-flessen,
En Æsculaap die riedt tot Thee en Koffi mee.
Minerv quam met haar schild, Diana met haar kooker,
En Themis met haar svvaard en evenaarde vvaagh,
Het Negen-Zuster-tal, de kleyne Minne-stooker,
[Waar vindt men doch al niet die bitter-zoete plaagh?]
En voorts zoo voeghden sig der Nymfen schoone reyen
Als gasten by Jupijn en zetten sig in't rond.
Men dronk een kopje met gevenichte lekkernyen,
Thee, Koffi, met banquet en snipp'ringh voor de mond.
Jupijn in volle lust zey lacchend: Zoete Maaghden,
Al langh genoegh gemaaght, Ghy moet nu aan de
Man,

*Car tel est mon plaisir, en of U iemand vraaghden,
Zegt, dat ghy sijn zult zijn, dat hy U kiezen kan.
Want mits de dolle Mars nu holt in volle gespen,
En't vinnig moord-gevveer op alle plaatlen svvaait,
[Ik svvijg van't bloed-gevecht nu lest by Neder-Hespen]
Zoo zou het Menschendom vast vvorden afgemaait;*



Om dan het groot verval van Menschen voor te bouwen,
 En dat het Mannendom niet ganschlijk loop te loor,
 Zoo zult ghy Dochteren nu al-te-gader trouwen.
 Tob! zeyde Themis, en dat gaat U, Susjes, voor:
 Ik *Will* een *Man*, en Hem, die my het eerst komt vryen;
 Segg, dat mijn hof-gevolg de *Bylen* draagh te *veld*,
 Daar vvaar de Rhoer en Rhijn sig in malkander vlyen,
 En vvaar mijn Tempel is in *Tentoos-Burg* gestelt.
 Vlux keerd' een Bode met een lijst van Prätendenten,
 En gaffe met een svvier aan d' Edle Rechts-Godin;
 Sy lasse kort en zey: Van deeze brave benden
 Hebb' ik voor nu alleen in mijnen *WILLMANS* zin,
 Wien *Saal* en *Oder* heeft tot mijnen dienst gesleepen,
 En die my altoos heeft gezocht, geacht, bemint.
 Wat! zey Minerv, hy is de mijne; Wat voor kneepen
 Zijn dit? hoe benje dus mijn *Susje-lief* verzint?
 Hy is van Kinds-been aan in mijne *Min* getreden,
 En heeft tot vvedermin mijn volle gunst gespeurt;
 Zoo is Hy nu ook mijn naar *Recht* en alle reden.
 Maar *Jupiter* die nam het vvoord op sijne beurt,
 En zey: Ghy *Themis* zult *Uvv WILLMANS* *evinceeren*,
 En toonen, dat hy d' *Uvv* naa *Wett-* en *Rechten* zy.
 Dat zal hy, vvas het vvoord van *Themis*, zelve leeren
 Op mijnen *Stoel* en voor een brave *Richter-rey*.
 Gezeyt, gedaan, hy vvint: *Strax* quam der *Goden* bode
 Met last, dat mē hem trouvv voor't gansche *Priesterdom*
 Aan *Themis*: Maar om hoogh daar galmden de genoodte:
Heer Doctör WILLMANS zy gelukkig om en om!

*Dit heeft aan sijnen geachten Vriend, Huis- en Tafel-
 genoot, tot gedachtenisse, met een haastige, edoch vvel-
 meynende hand speelende geteykent en gescherst*

HENR. CHR. HENNIN.
 D. & P. P.

Kd 3358

8

7

ULB Halle 3
003 758 15X




TA-206

6-stück füllt node

VD.77





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

6
RIDICA
IS

IONE
NIS,

NUMINIS
fu

consultissima

RIDICÆ,
Academia

bus & Privilegiis
uendis,

ni submittit

IS WILLMANS,
lus,

*Amicissimo
Augusti, gnato, Dr. Ho
thia Hobbs
L.C. menu
mittit*

NUM,
nia Typographum,
III.

*A. A. Pagen
stelhe*